AVUNCULO MEO,

UNIVERSITATIS MONSPELIENSIS MEDICO,

Nec-non Collegii Medicorum Monbriſonenſium Aggregato;

Has primas Studii Medici primitias in æternum gratitudinis Monumentum,

D. V. C.

TENTAMEN HYGIETICUM

DE FRICTIONE SICCA.

QUOD Deo duce & auſpice Dei-Parâ, in Auguſtiſſimo Ludoviceo Medico Monſpelienſi, tueri conabitur

AUCTOR

CLAUDIUS-MARIA-PHILIBERTUS DECHAVANE, Francopolitanus apud Bellojovienſes, Diœceſis Lugdunenſis, Liberalium Artium Magiſter, & jamdudùm Medicinæ Alumnus, die menſis Aprilis, anni 1775.

Pro Baccalaureatûs gradu conſequendo.

Refricatio ſolvendi, vinciendi, carnem augendi, minuendi vim habet, vinciendi ſi dura, ſolvendi ſi mollis, minuendi ſi multa, incraſſandi ſi mediocris adhibeatur.

HIPPOCR. *Lib.* 3. *de his quæ in Medicatrinâ fiunt.*

APUD Veteres omnium exercitationum feliciſſimos cultores, vel ſiccas vel oleoſas frictiones, in uſum quotidianum veniſſe nemo neſcit Et in hoc certè laudandi Inſulares nobis vicini, quòd hodiernis temporibus uſum reſtituerint eò ſalubrem, ut munditiæ cultor & ſani-

tatis vix eo abſtinere poſſit auxilio, quod apud nos maximo cum ſucceſſu invaluit ſagaciſſimis & benè de patriâ meritis ſuadentibus Medicis. Licèt hujus Tentaminis materiem ſuppeditet frictio ſicca, non eò tamen quæ vel oleum, vel vapores aromaticos cutem ſuperfundit, & ideò compoſita dicitur, ſegregatur: ut ubi poſtulabunt res exponendæ de eâ ſileatur.

Quantæ ſit neceſſitatis cuticularis perſpiratio, fusè & utiliſſimè docuit *Sanctorius*; quàm multi, quàm graves ex ejus vel ſuppreſſione, vel imminutione ſcaturiant morbi triſtis & infauſta probavit experientia; at verò in illâ vel provocandâ, vel augendâ excretione quanti valeant ſiccæ frictiones teſtatur obſervatio. Porrò juxtà Antiquorum morem, in hâc parte jure magiſtrorum, optimè congruit frictio matutino tempore, poſt ſomnum, ſeptem vel ſex à cibo horis (1). Tùnc enim dignoſcitur heſternarum epularum confectam eſſe coctionem, tùm ex urinâ rufâ-pallente &c. tùm ex ſignis cibos adhùc crudos eſſe negantibus (2). Tùnc ergò qui ſalubriter degere volet denudetur in cubiculo; vel quovis alio loco cujus aëris temperatura vel ſit natura, vel fiat arte calori corporis humani analogua; quod quidèm æſtimari poteſt ex inſpectione thermometri D. *Reaumur*. Eâ enim cautelâ cavetur ne foràs elicienda acceſſu aëris frigidiintus repercutiantur. Hìnc in frictione dùm aliæ caleſcunt partes, ne frigeant aliæ, plurium adhibitis manibus fricandum eſſe ſuadet *Galenus* (3), cui fini quam bene aptantur ob eorum extenſam peripheriam excutia (*les Broſſes*) ſcopis equilinis ſimilia. His igitur armatus fricator omnem corporis, cujus cutis nequaquàm vitiata ſupponitur, ſuperficiem perageret, maximèque artus; eâ attentione, ut admodùm vario ex manuum injectu circùm-actuque univerſæ muſculotum fibræ fricentur, omniaque recludantur cutis ſpiracula. Initio fiat frictio lenis, deìn mediocris, mox duriuſcula; eò uſque ut floridus quidam rubor, blandus calor, & aliquantulus tumor per totam cutem ſuperfundatur. His enim apparentibus ſignis ceſſanda eſt operatio. Fricatus calefactas veſtes induat citò experturus plurimùm ex aucto humorum circuitu, recluſiſque cutis meatibus, frictionem ad perſpirationem provocandam, vel etiàm ad ciendos quandòque ſudores inſervire.

Quæ hùc uſque propoſitæ ſunt, tanquàm generales de miniſtratione frictionum canones habeantur; vix enim quaſdam patiuntur exceptiones

---

(1) *Exercitium poſt ſeptimam uſque ad duodecimam horam ab aſſumpto cibo magis reſolvit inſenſibiliter horæ ſpatio, quàm tribus horis alterius temporis.* Sanct *de Medic ſtatic. aph.* 7. *ſect.* 5.

(2) *Frictiones & cucurbitulæ, in refertis crudis ſuccis impediunt perſpirationem.* Sanctorius, *de Medicina ſtatica, aph.* 22. *ſect.* 5.

(3) *L.* 3. *de ſanit. tuendâ.*

quæ in dicendis pro earum occurrentiâ exponentur.

In uſu frictionum hygiaſtico alia etiam percipitur. inſignis utilitas: earum nempè ſtimulis ſopitæ vel languidæ principii vitalis vires reviviſcuntur; ità ut, priùs debilitata aut inertia corporis organa roborentur; & erecta, ſuas in ſanitatem conſpirantes poſſint gerere vices. Hoc quidem inconcuſſo modo probatur ex analogiâ in animalibus ſtrigillatis deſumptâ: nemo neſcit equus ſtrigili ſtudioſe diſtrictus, quàm lævis, quam alacer, quàm vividus; quàm è contrà horridus, ſtrigoſus atque iners degat. Quem ſtrigil non fricuerit; ut videatur equus ſemi-paſtus, ſedulò tamen diſtrictus; alio plenè paſto ſed incompto longè habitior. Eoſdem effectus ab iiſdem cauſis in homine expectes quos in equo cernis.

Nunc difficilem perſpirationem habentes, vel debilibus languentes organis, requirere eſt, ut fiant frictionum ſubjecti, & ex ingreſſu primo occurrunt.

Pueri quorum corpus quotidiè leniter poſt longiſſimum ſomnum cum pannis tonſis fricare commendat *Galenus* (1), tùm ut exercitationi, cui ex organorum debilitate, & faſciarum deligatione fiunt impures, ſuccedat frictio, ſicque æqualis ingeſto alimento provocetur perſpiratio: tùm ut cerea eorum organa firmentur, ad quod optimè conducit, fricationis ope, puellorum corpus, vaporibus aromaticis quandòque penetrari. Sordium etiam quæ cutem inficiunt ob pannorum involutionem recuratrix eſt frictio, quod maximi eſt momenti. Creſcenti puero plurimum ex perfectiori ſuccorum nutrientium diſtributione favetur (ut ex infrà dictis elucidetur) ſi ſenſim cum paulò aſperioribus linteis mediocriter fricetur.

Senum infirmitatibus tanquàm ſpecifica habetur medela frictio mediocris. *Senum neminem ex toto poſtulare quietem, ſed neque exercitium vehemens*, pronuntiat *Galenus* (2); porrò quid frictionibus magis huic conſilio congruum? Adde quod in illo exercitationis genere fit minima virium diſpenſatio; & id etiam in votis eſt *Galeni*, ubi aït: *ceù ventulo quodam excitari accendique calor eorum deſiderat, vehementiori autem motu dejicitur* (3) In ſenili machinâ languidè meantem pellit ſanguinem vitale robur excitans frictio, hinc frigidum corpus calefit, accuratiùs indè concoquitur alimentum, & facilior in textûs mucoſi cellulis materiæ reparatrici datur aditus. Quin etiàm ſtrigoſa plerumque & rigida carnis textura, molli cum olei pluſculo relaxatur frictione (4) ſicque

---

(1) L. 1 *de ſanitate tuendâ.*

(2) *Ibid. l.* 5.

(3) *Ibid.*

(4) *Quippè* melle intùs oleo foris *dictum eſt ſatis vulgatum, quo pacto Democritus longævitatem ſe aſſecutum eſſe dixit.*

ſervatur eò ſenibus utilis perſpiratio, ut ex ejus defectu preſtò ſint catharri in pectus & alias partes. Tandem meminerint ſenes, teſte *Verulamio* frictiones plurimùm ad longævitatem conducere; attendant quoque ſeneſcentes mulieres hanc operationem inter coſmetica auxilia reponendam eſſe, etenim flaccidam cutem cogit & elevat, rugoſam lævem efficit. Quidam ſunt affectus vix morboſi multis hominum ordinibus communes (ut notabitur) ſed tamen aliquâ ſpecialitate ſenibus magis familiares; quare hìc illos ordinare, eorumque curationem frictionibus comparatam, ad verbum, ex Autoribus depromere juvat. Et primò quidem *Galenum* audiamus, *qui certâ periodo redeunt quibuſdam partibus dolores, hi, ne fiant, non exigua ex ejuſmodi frictione cautio eſt; præcipuè ſi duas vel tres horas ante acceſſionem adhibita ſit; eæ etenim firmantur partes, & conſuetas fluxiones non admittunt* (1). Sequentes caſus apud litteris ſtudioſè deditos frequentes ſunt. *Si cui caput infirmum eſt*, aït *Celſus*, *is ſi benè concoxerit leviter perfricare id, manibus ſuis debet* (2). Plurium, ſexûs præſertim, tondere capillos (quod tamen frictione requiritur) cùm nefas ſit, tunc illius ſuccedanea venit pectinatio: ſic in opthalmiis ſeroſis, nec-non in cephalagiis plurimum levaminis experiêre, qui manè priuſquàm è lecto ſurgerent, duriter per horæ dodrantem crinitum corium fricuerunt pectine acutiſſimis denſiſſimiſque dentibus inſtructo; moxque recumbentes, caput pileo operiunt, ut ſudori per ſtimulos excitato faveant. Quo extracto, iterùm pectendi capilli, ut detergeantur. Obiter attendendum eſt, cutaneos capitis meatus, apud hominum ferè dimidiam partem recluſos omninò eſſe; viſcidorum enim unguentorum uſu cruſtaceum fieri linimentum quis non videt? Quo impedita perſpiratio, in organa defluit vicina; plurimoſque gignit morbos frequentiori, vel (quod utilius erit) quotidiano eburnei pectinis operatione fugandos; ſordes etiam ex quibus moleſta prurigo. illo purgabuntur inſtrumento, ſicque pediculorum generatio infantibus admodùm familiaris impedietur. Hìc etiam reponi poteſt capitis tonſura, quorum optimi effectus conſpiciuntur in augenda hujus partis perſpiratione, imprimis ſi capilli inversâ eorum ſitûs directione ſecentur, illâ tamen abſtinendum eſſe apud veſicâ laborantes, docuit obſervatio. Illam *Celſi* ſententiam explanans *Lommius*, inter inſignes capitis infirmitates recenſet deſtillationem copioſiorem per nares, aures, oculos, &c. Idem Romanus Auctor iis qui tardum aut languentem habent ſtomachum ſuadet, ut accurata fiat ingeſtorum coctio, corpus ante cibum exercere, & iis præcipuè quæ partes trunci ſuperiores movent (3). Ut pilæ

(1) *L. 5. de ſanit. tuend.*

(2) Celſ. *l.* 1. *cap.* 4. *de Medic.*

(3) *Ibid. cap.* 6.

luſus &c. ut huic ſapientiſſimo obtemperent auxilio qui illis vacare non poſſunt exercitationibus, frrictiones manè adhibeant; tùm generales, tùm imprimìs partiales quibus partes agitari poſſint ſuperiores, & languenti ſuccurrere digeſtioni.

Macilentis atque atrophis in recuperanda adipe plurimùm inſerviunt frictiones modicæ; nam, ut Cl. hujus Univerſitatis Cancellarii D. *Barthèz* verbis utamur, *in dato organo uberior ſecretio ſuccorum alibilium determinari poteſt irritatione principii vitalis*; & inferiùs: *aliqua mollities utiliter conciliatur artubus quorum nutritionem augere opus eſt; quò principii vitalis functioni nutritoriæ facilius obſequantur* (1). Porrò ſtimulantes eſſe frictiones ſiccas, relaxantes verò, ſi pluſculum olei miſceatur, quis non videt? hæc ſententia pluribus conſtat obſervationibus. Apud mulieres Ægyptias, narrante *Proſp. Alpino.* (2), ut impingueſcant, (nam craſſa pinguedo plurimùm apud eas ad decorem confert) uſus mollis frictionis eſt affectatiſſimus; hac ſiquidem de cauſa à cibo eâ utuntur, ut ex eâ attractum alimentum non diſſolvatur, ſed in carnem & adipem vertatur. Methodo huic analoguâ in quibuſdam locis videre eſt, ut ſaginentur, porcos lavari, ſeduloque fricari. Ad frictiones propter effectûs affinitatem referri poteſt ferulatio. De quibuſdam circulatoribus mentionem facit *Galenus* (3), qui per urbes imperii vagabant, ſuam operam profitentes ad ſanandos vel pinguefaciendos pueros maraſmo laborantes, quod quidem aſſequebantur, levibus & iteratis verberationibus cum ferulis pice illitis. Frictioni analoguo auxilio, ſcilicèt flagellatione utuntur mangones quidam, ut equos pingueſcant. Quam circà notabitur apud antiquos frequentiſſimam fuiſſe verberationem. Sic Spartæ, ut adoleſcentes fierent malorum patientes, illos ad aras venientes flagellis cædebant. Fuſtigationem frigidos in conjugali officio excitare teſtantur *Cælii Rhodigini* obſervatio, necnon *Mæbonii tractatus de uſu flagrorum in re venereâ.* Verberationi affinis eſt pulſatio cum bubulis veſicis inflatis. His freti obſervatis fidenter utantur frictionibus qui laboribus extenuatum ſiccumque corpus habent, convaleſcentes longâ ægrotatione maciati; in his enim ſi quid reſiduum eſt morbi, foràs evocare potens eſt frictio; nam, ut ait *Celſus* (4), *amat hoc auxilium valetudo longa*; venereis exceſſibus conſumpti; tandem & ii quorum aliquis artus atrophiâ laborat ex longâ faſciarum deligatione.

Obeſis, ut ex nimia ſagina imminentes morbi arceantur, deformitaſque cotporis corrigatur, oportunè bis in die miniſtrantur frictus multi

---

(1) *Nov. doctr. de nutrit.*
(2) *De Med. Ægypt. lib.* 3. *cap.* 18.
(3) *Meth. med. l.* 14. *cap.* 16.
(4) *Lib.* 2. *cap.* 14.

& duriuſculi, eò uſque ut elevata caro deprimatur. Hoc pacto per cutem fiet pinguedinis evacuatio exercitationibus validioribus, ſed admodum periculoſis, elicienda; jam verò ubi corporis moles paululùm decreverit, dura frictio adhibeatur, ut denſetur cutis textura, nec-non ſucceſſivè corporis cribroſi laxitas adſtringatur.

Sedentarii inter quos civitatum divites fœminæ, quidam opifices, genus omne litteratorum, hi etiam quorum abalienata ſunt membra, cùm vix exercitationi quæ tamen maximè ad ſanitatem neceſſaria eſt, vacare velint aut poſſint, tunc ejus loco optimè veniunt frictiones cum cautelis ſuprà memoratis uſurpandæ vel & malaciſſatio (1).

Clauſtrati ex defectu exercitationis liberis ſolitæ, cùm minus perſpirent, graviſſimos quandoque morbos patiuntur qui frictionum ope abigerentur.

Exercitantibus validiſſimè blanda & mollis frictio poſt motum miniſtretur, juxtà antiquorum morem; illam tanti momenti habebant, ut

---

(1) *Frictionibus (conſimilis operatio hæc eſt malaciſſatio membrorum quæ apud Indicos uſitatiſſima eſt, ut ex ſincera patebit relatione Angli* Henrici Groſe, *qui ejus miniſtrandæ modum optimè deſcripſit, quare ejus verba, juxtà verſionem* Hermandez, *in medium afferre lubet.* » Les Orientaux » pratiquent à Surate une eſpece d'opération qui n'eſt pas ſi connue » en Europe que leurs bains. Quelque voluptueuſe qu'elle ſoit, ils n'y » attachent aucune idée d'immodeſtie & d'indécence. Voici ce que » c'eſt : on eſt couché ſur un ſopha ; celui qui eſt chargé de l'opération » vous paîtrit tous les membres les uns après les autres, comme ſi » c'étoit de la pâte ; il tire les extrémités des membres, ſans faire du » mal, mais aſſez fort pour faire craquer toutes les jointures des » poignets, des genoux, & même du col. On peut ſe livrer entiére- » ment à eux ; ils ſont de la plus grande adreſſe. On eſt perſuadé que » cette opération rend les membres plus ſouples, & facilite la circula- » tion des fluides. Elle excite chez les Orientaux les plus douces ſen- » ſations; elle leur fait éprouver une douce langueur, qui va quelquefois » juſqu'à ſe pâmer & s'évanouir. « *Cenſet hic Viator Turcas malaciſſationis uſum à Sinenſibus accepiſſe. Quin imò apud Romanos malaciſſari membra probare videntur ſequentia Martialis verba :*

» Percurrit agili corpus arte tractatrix,
» Manumque doctam ſpargit omnibus membris.

Quod etiam confirmatur ex iis quæ legere dantur apud Senecam Romanorum corruptos mores arguentem : » *An potiùs optem ut malaciſſandos* » *articulos exoletis meis porrigam? ut muliercula aut aliquis in mulierculam ex viro verſus digitulos meos ducat.* «

gymnaſticæ exercitationis pars eſſet; apotherapia, ejus nomen eſt; contractam mulcet laſſitudinem, ſpurcitias cutis abluit. In eâ potiſſimum attendendum eſt ne tepidum frigeſcat corpus; inter validè exercitantes recenſeri debent vel pilæ vel armorum luſores, iter agentes, foſſores, remiges, &c. iis præſtò ſunt laſſitudines, niſi apotherapiâ devitentur. Hìc de frictione veterum exercitationes ſubſequente actum fuit, non nihil de eorum præparatoria attingere lubet; ad ludos (1) gymnaſticos accedentem variâ vis gradatione fricabant, ut non ab rupto, ſed ſenſim à quiete ad majores motus tranſiret; illos enim docuerat experientia, ſubitâ validâque concitatione, liquida cor versùs preſſa illud quandoque ſuffocare: his etiam frictibus præcavebant ne tenuia vaſcula motu repentino rumperentur. Priuſquàm lavarent antiqui, fricari ſolebant, ut patulos & quaſi inhiantes redderent cutis poros, egredientes iterùm fricabantur cum oleo ſuaviter olente (2).

Plebecula denique in uſum recuratricem frictionem adhibeat potiſſimum die quo ſubucula deponitur; nam ut hìc obiter notemus, linteorum mutatio, quæ vix fit ſemel in hebdomadâ, longè frequentior eſſe deberet apud homines duris admodùm laboribus deditos, & indè copioſiſſimè ſudantes. Ex materiâ ſudoris intrà texturam ſubuculæ denſatâ, fit tanquàm picata, & indè reſorbitionis impar; mox intrà cutis meatus denſeſcit eadem materies, impediturque perſpirabile. Hinc ſcaturiunt plurimi morbi, præſertim cutanei popello magis familiares. Excutiorum frictione cutis hæc obturamenta eliciuntur, & hæc expedita oculis captantur. Primos enim poſt frictus, excutiorum ſetas prementi videre eſt ex earum reſtitutione innumeras proficiſci ſquammulas, quæ, ni fallor, nihil aliud ſunt præter denſatæ aut ſudoris aut perſpirationis materiæ particulas.

Qui laneis induſiis veſtiuntur, nullo interpoſito ad cutem linteo, ut plurimos apud monachales ordines inſtituitur, niſi frequenter ea mutent, morbos cutaneos imprimis pediculos obſtetricant; ubi verò hæc induſia mutantur, illa de cauſa corpus fricare cautio erit utilis, ſæpiuſque adhibenda.

Licèt hujus tentaminis limites ex ipſo titulo hîc ſint poſiti, attamen de uſu frictionis therapeutico, qui in chronicis præſertim morbis multiplex eſt, interroganti quantùm mihi erit tyroni reſpondere conabor. Quem ob finem recenſere lubet affectus in quibus maxima ſanè utilitas ex frictione ſperari poteſt. Itaque paralyſis, epilepſia, rachitis, catalepſia, podagra, affectus ſoporoſi, ſyncopes, corpora congelata, undis immerſa, aut etiam ſtrangulati illâ utuntur tanquàm auxilio vel ſti-

---

(1) *Mercurialis. de art. gymnaſt.*
(2) Baccius, *de Thermis. l. 9.*

mulante, vel roborante, quandoque etiam revellente. Hydrops, obſtructio, contuſio cum ſanguinis effuſione & ſtagnatione, hanc ut concutiens remedium uſurpant. In uſu evacuationes derivante, feliciſſimè miniſtrantur in ſuppreſſione menſium, hæmorroïdum, aut defluxûs per fonticulos ſoliti. Fit etiam frictio topicis, præparatoria, necnon ſudorificos plurimùm juvans.

FINIS.

DISPUTATURI

RR. DD. PROFESSORES REGII.

R. D. JOANNES-FRANCISCUS IMBERT, *Cancellarius & Judex.*

R. D. PAULUS-JOSEPHUS BARTHEZ, *Cancellarius & Jud. Adj.*

R. D. FRANCISCUS DE LAMURE, *Decanus.*

R. D. GABRIEL-FRANCISCUS VENEL.

R. D. CAROLUS LE ROY.

R. D. GASPARDUS-JOANNES RENE'.

R. D. ANTONIUS GOUAN.

R. D. FRANCISCUS BROUSSOUNET.

Anteceſſores Regii Veterani.

R. D. HENRICUS HAGUENOT, *Decanus, Profeſſor emeritus.*

MONSPELII, Apud JOANNEM MARTEL NATU-MAJOREM, Regis Univerſitatiſque Typographum conſuetum. 1775.